

EXCELLENTISSIME PRAESUL

Quod jamdix vehementer optabam, Excellentissime Praesul, publicum aliquod mei erga te obsequii, gratique animi monumentum praebere, illud demum faventibus superis aliqua jam ex parte confectum, absolutumque tibi nunc offerre posse maximopere gaudeo. Ex illo enim die, quo me scholastico adhuc pulvere conspersum, ut tibi, quem tunc Clemens XIV ex Regis nostri sententia Episcopum Aquensem renunciaverat, qua scribendis epistolis, qua theologicis, ecclesiasticisque rebus tractandis inservirem, adsciveras, meaeque nascenti fortunae praesse velle demonstraveras, quid pro tam praestanti in me benignitate responderem coepi mecum ipse cogitare. Quamvis vero intelligerem tantam esse tuorum in me beneficiorum magnitudinem, ut vix aliquam eorum partem pro merito assequi possem: attamen illud muneris mei esse animadverti omnem et tibi gratificandi, et tua in me merita celebrandi occasionem captare, nilque eorum praetermittere, quae fidem, pietatemque erga te meam testari quoquo modo possent. Quae autem alia occasio vel tibi jucundior, vel meis rebus aptior se mihi offerre potuisset, quam hujus operis susceptio, cujus materiam tibi optatissimam, atque in deliciis esse cognoveram?